

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Jonstoni Historia Naturalis

Ioannis Ionstoni|| Theatrvm|| Vniversale|| De Avibvs

Jonston, Jan

Heilbrunna, MDCCLVI.

VD18 90528921

Titvlvs II. De Aquaticis Fissipedibus Insectiuoris.

urn:nbn:de:gbv:45:1-11068

Descri-
prio.

avis Paradyfi, sed et piscator regis dicitur. *Rostrum* ei est nigrum, rectum, in summo acutum, tres digitos longum. *Caput* pronum cum ceruice uiridis coloris transuersis lineis ex albo caeruleis distinctum. Virent et *alae*, sed interior pars plumarum ad purpureum fere uioleaceo dilutum colorem tendit, adspersuntur lucidis aliquot punctis. Per medium dorsum a principio usque ad finem caudae plumae sunt caerulei coloris diluti et ad album inclinantis adeo splendidae, ut oculos etiam uisu immorantes offendant. *Pedes* breues, rubicundi, in quibus duo longiores digiti ad medium usque partem connexi postea funduntur. *Lingua* perbreuis est, latiuscula ac subrubens. *Oesophagus* ualde oblongus. *Ventriculus* in imo corpore iuxta anum. *Adeps* rufus.

Est et aliud ispidae genus, quod ex India adfertur regulum magnitudine uix superans. *Rostro* oblongo, tenui, nigro, reliquo corpore ad caudam caeruleo, uiridi et nigro. Cauda pro corporis proportionem longiuscula tota fere nigra. Pedum constitutione cum superiore eadem. Solitaria est et in agro Bononiensi, Heluetia, et alibi media hyeme circa ripas glacie concretas reperitur.

Locus et
Partus.

In arena uel scopulo aliquo iuxta aquam nidificat. Nidum forma

rotundum, eminente in angulum foramine exiguo, ex floribus arundinum, mollem construere aunt. Pullos interdum nouem in nido uno reperiri.

Pellis eius cum pennis adseruata peculiari ui aduersus *tineas* pollicere creditur. Non tangi fulgure domum, in qua eius nidus suspensus fuerit, nugantur quidam. Moschi instar cum pullis suis suauiter olere *Tragus* prodidit. Suspensam pennas quotannis tanquam in uiuo corpore murare falsum comperit Aldrouandus.

ROVSSEROLLE seu rouchet Gallorum, alcyone uocalis est Bellonio. *Rostrum* habet ferratum, picae Graecae seu collurioni simile. Plumae capitis longiores cristae quandam speciem prae se ferunt. *Nidum* si quis inuersum adspiciat, ad arcem primo intuitu referre uidetur. Sena ut plurimum oua parit et quinque sexue excludit pullos. *Cantu* adeo ualeat, ut omnibus canorus a Bellonio praeferatur tamque in eo indefessa, ut dies et noctes absumat, tam seria, ut uacillet totoque corpore tremat. Inter reliquas uoces has inprimis proferre uidetur: toro tret, suis, huy, tret. Aristophanes eius cantum expressisse creditur.

TITVLVS II.

De Aquaticis Fissipedibus Insectiuoris

CAPVT I.

De Arquata, Crece et Totano.

Aarquata ab arcuato rostro sic dictam, numenium ueterum, qui forte a neomenia, quod rostri figura arcum lunae recens a nouilunio crescentis in cornua repraesentet, ita dicitur, esse Gesnerus credit, Bellonius elorium Aristotelis coniicit. *Rostrum* habet circiter octo digitos longum, post tres di-

gitos flecti deorsum incipiens nigrum. *Pennas* coloris fusci uarias et maculosas, ex quibus maxime fulgent instar serici uilloso, quae inter alas et dorsum sunt, in medio nigrae, in circuitu per interstitia subrufae. *Digitus* sunt fissi, sed aliquatenus membrana coniuncti, quae etiam utrinque iuxta digitos descendit

dit et inferiorem digitorum partem dilatat. *Lingua* pro tanta rostri longitudine breuissima est et sagittae effigiem repraesentat. *Foemina* est aliquanto minor et maculae illae, quibus totum fere corpus respergitur, in hac magis fufcescunt. Omnium uermium genere *uescitur* eosque in plantis quibusque quaerit. *Turmatim uolant*, oua *pariunt*, quanta gallinae, quaterna, pallida, mense Aprili. Carnem habent siccam, solidam, leporinae similem. In Gallia in deliciis habentur.

CREX, quae et *κρεξ*, quae nam sit auis, uix a recentioribus obseruatum est. Athenaeus helorio similem esse dicit, Aristoteles uero crura alba habere et posteriorem digitum, qui pro calce est, minutum adferit. Herodotus ei ibidis nigrae magnitudinem. Scholiastes Aristophanis rostrum acutum et serratum assignat. Bellonius auem circa Nilum uisam, cruribus longis, *rostro* longo et nigro, nigris quoque tibiis et toto capite: *collo* tergo et pectore candidis, quae e terra *uidum* petit et in muscas debacchatur et, cum *uolat*, magnum edit strepitum, *crecem* ueterum esse opi-

natur. Pugnatur cum galgulo et merula et uireone eorumque pullis nocet. *Βραδυπτερος* esse Philes ad Arist. l. 9. notauit. c. 1.

TOTANVS auis est aquatica, capite nigricante, praesertim anteriorius, posterius enim et magis anteriori parte rufum est. Vertex cinereus, ut et reliqua pars prona. Alarum ima pars alba, extima nigra est, relinquaе plumae in ambitu uariae (*σινται*) sunt et albicantes. *Cauda* palmi longitudine transuersis lineis albis nigrisque depicta, ut etiam limosae. *Pennae* super caudam ad medium dorsum usque albicant. Pars omnis supina alba est, in collo tamen et superiore alarum ambitu nigricantes maculae uisuntur. Totius auis longitudo ab extremo (rostro) ad pedis extremum extensae dorantem cum duobus palmis aequat. Rostri longitudo circiter tres digitos, colli totidem. *Fidipes* est, uerum duo maiores digiti pedis aliquousque membrana iunguntur, ut et limosae. Pedes duos palmos longi ex pallido rubent unguiculis muniti nigris. Corpus auis ea fere crasitie est, qua mergulus no-

ster rostri acuti.

CAPVT II.

De Calidri Bellonii, Nigra et Himantopode

Plinii.

Calidris Bellonii auicula est columbae magnitudine, *cruribus* proceris adeo, ut equo insidere uideatur, unde *cheualier*, id est, equitem nominarunt. Plumis optime instructa est ideoque longe minus carnis obtinet, quam adpareat. *Rostrum* et crura rubra, longa, manifesto sane argumento, aquaticam esse uolucrem. Superior rostri pars nigricat, uenter albus est, *caput*, collum et pennae sub alis et uropygio cinereae, quare Aristoteli calidrim dici arbitramur, cuius meminit his uerbis: quin etiam *calidris*, cui cinereus color distinctus uarie. Radices plumarum, sicut in bistar-

da et la cane petiere (tetracem interpretatur) rubent, sic in hac nigrae sunt. In temporibus utrinque maculae sunt binae, nigrae, quae ceu umbram praebent superciliis, quae et ipsa alba macula insignia sunt. Priores digitos membrana coniungit, ut in pica marina, (pie de mer) Digitus posticus admodum exiguus. Alae, ut in pluuiarium, corpori iunguntur, magnitudine corpori respondent. Tam parua itaque ales proceris cruribus insitens alacriter hilariterque incedit, praetagnaue et ripas frequentat et plerumque aquam ingreditur ad femora usque. Caro nihil ferinum

X 3

redo.

redolet, sed delicatum quid et aromaticum. In sui generis auibus in deliciis habetur.

NIGRAM a rubra differre certum est. Nigrae enim ab ipso ortu crura et rostrum atra sunt, excepta superiori rostri parte, quae subrubra est. Color item huic nigrior, quin, amputatis capite, cruribus atque alis, reliquis corporis partibus palumbis colorem inter cinereum et nigrum uidebitur referre. Sin sermo sit de calidribus, quae iam pennas mutarunt distinguendus, quae color ab iis, quae prioribus etiamnum uestiuntur, adseremus nos pluuialem aliquando obseruasse in autumno nigram, adeo ut post mutationem plumarum eum non agnosceremus, nihilominus tam huic quam alteri pedes nigri sunt. Foetus earum mense Aprili prostant maculis undique ortyometrae instar (d'un rasle) conspersi, cum alioqui hyeme tantum adpareant. Ad hanc reducit Aldrouandus *gambettam* Italis dictam, quae est capite, collo et pectore cinereis et maculis fuscis plurimis undiquaque respersa. Alarum pennae rectrices nigricant, corporis cinerea sunt in dorso et alis ad rufum uergentes, uenter candidus est. Rostrum nigrum, oculorum iridem ex luteo subuiridem niger circulus ambit. Pedes ex luteo rutili, quo colore potissimum a nigra calidri Bellonii discrepat. **HIMANTOPVS** a flexitate crurum ita dicta, quam alii

haematopoda a rubedine pedum uocant, a Gesnero ita describitur: *rostrum* digitos fere quatuor longum est, *caput* paruum, *collum* digitorum quinque, reliquum corpus, quod leue et gracile est, instar auium palustrium fere, quas gallinulas aquaticas uocamus, digitorum sex, cauda quatuor, crura quindecim. Color *rostri* nigricat, in capite et collo prono fuscus, dorso et alis niger, paucis subuiridi admixto, si diligentius intuearis, cauda cinerea. Partes prone omnes et latera quoque albi coloris sunt. *Crura* sanguinea digitis duntaxat ternis, sicut in bistarda, oenade Rondeletii, morinello Gaii, struthiocamello, pluuiali et cane petiere Bellonii eiusdemque pica marina, quorum medius longiusculus, breuissimus interior, iungitur autem medius cum exterior breuissima membranula, tanquam palmipedum. Poplitum cavitatis insignis est, articulo tam flexili, ut in sceletio etiam tibia ad femur tota reflectatur. Videtur sane non cursu tantum ualere, sed etiam uolatu haec auis, quoniam oblongae eius alae sunt, ita ut longissimae earum pennae caudam seu uropygium duobus aut amplius digitis excedant. Oppianus hoc nouum in eis, quod, maxilla inferiore fixa, superior solum in ipsis moueatur, notauit, sed in descripto nihil ab aliarum auium natura uariat.

CAPVT III.

De Gallinulis Aquaticis in genere et in specie de Quibusdam.

Gallinulae aquaticae hoc commune habent, quod eis sit corpus gracile et adductum. *Caput* paruum, pennae uariae. *Rostrum* longum modice inflexum, nigricans. *Ventrem* et supinam eam capitis partem, quae inter rostrum et collum est candida. *Crura* oblonga, *digitum*, qui pro calce est,

admodum breuem, quaedam etiam eo carent. *Plumas* ad media tantum crura descendentes. Vermiculis potius, quam piscibus uescuntur, quamuis et ex his minimis comedant. Circa initia autumnii in Heluetiam adueniunt, hyemis exitu denuo auolant. *Aucupium* earum mane ante solis exortum fit aut uespere

uespere, quo incipiente, tam sublimi uolatu euehuntur, ut non amplius adpareant. Ob carnem suauem et teneram in deliciis mensarum habentur. *Species* ipsarum sunt *chloropus*, *erythropus*, *ralla Anglorum*, *rhodopus*, *phaeopus*, *ochropus*, *melampus*, *poliopus*, *erythra*, *ochra*, *hypoleucus*, *gallinula serica* et *scolopax*.

CHLOROPVS est triplex, maior, quarum altera fulicam et magnitudine et corporis figura refert, tota rostro longiusculo fursum parumper eleuato, altera Italis *porzana* dicta, collo et capite nigricantibus, dorso cum superiore alarum parte castaneo, inferiore uentre toto albedo, femoribus plumis cinereis usque ad genua conopertis. *Tertia* Gesneri, quam glottidem Aristotelis esse credit, colore est fusco, cruribus uiridibus. Vocem instar fistulae argutam edit. Germanis *Glutt* dicitur. Praelongam exerit linguam, unde ei nomen. Hanc initio blandita peregrinatione (cum coturnicibus) auide profectam poenitentia in uolatu cum labore scilicet subit. Reuerti inconcitam piget et sequi nec unquam plus uno die pergit, in proximo hospitio deserit.

ERYTHROPVS uel est maior uel minor, de utraque nihil singulare

obcurrit. **RALLAM** Anglorum, aquaticam intellige, cuius rostrum et crura sunt rubra, plumae undique magis cinereae quamque male uolare, sed egregie pugnacem esse Bellonius prodidit. *Montana* et syluestris in ericeto degere solet. *Ortygometram* esse credidit Bellonius, perdicem rusticam Gesnerus.

RHODOPVS nihil habet singulare. Sed ne de aliis praeter descriptionem, quam apud Aldrouandum et Gesnerum inuenies, quicquam. In ochropode maiore septem distincti colores adparent nec digitus posterior pedis uisitur. Medio lingua in oblongum mucronem desinit. *Minori* collum est, quam caeteris altius.

ERYTHRA, quam Germani *Mattferca* uocant, uocem et clamorem edit, quo sonus fullonum lanas ferientium repraesentatur.

OCHRA a totius fere corporis colore subuirdi, sed sordido et obscuro sic dicta est.

DE HYPOLEVCO, quam Germani *Systerlin* adpellant, nihil habeo, quod dicam.

SERICA ideo dicitur, quod color ater in ea holoserici instar splendeat.

CAPVT IV.

De Scolopace seu Perdice Rustica, Rusticula Syluatica et Scolopace seu Gallinagine Minori.

SCOLOPAX auis a rostri figura, quod instar pali longum et rectum habet, ita dicta (palum Graece *σκόλαπα* dicunt) Volaterrano Aristotelis alestoris, sed falso, uulgo Graecorum *εὐλόρεως*, Herodiano syluestris perdix, Martiali perdix rustica, nonnullis rusticula maior, Alberto, quod suauis et pinguis sit, ficedula, plerisque populis beccasfa, Germanis *Schnepf* et *Riet*, *Schnepf* dicitur. Similes ipsi quaedam in Frisia aues facit Gesnerus.

Ea, quae uulp nominatur uulgo, rostro et pennis colore illi confertur, sed magnitudine uincit. Item gutte dicta rostro. Magnitudine est gallinae, colore attagenis, ut Arist. *H. Al.* 9. c. 26. *Rostri*, quod longum, anterieus asperiunculum, pars superior ultra inferiorem extenditur. *Linguam* habet gracilem, oblongam, neruofam. *Crura* fere rosei coloris. *Felle* carere uulgo creditur, quod apud Bellonium legitur.

Nul-

Locus.

Nullibi non *inuenitur*, in Gallia, Suecia, Heluetia. Non ubique tamen iisdem in locis nec semper aestate in altis Pyrenaei, Heluetiae, Sabaudiae et Aruerniae montium iugis degit. Hyeme cibi gratia ad campos et sylvas caeduas descendit. Circa Brixiam principio autumnus in Heluetia mense Octobri capitur. A Germania inferiori aestate recedit, in fine autumnus redit. Aquas, imprimis tepidas, loca pulverulenta et humida, sepes et hortos amat. *Cibus* ipsi uermes. Spiritu in caua immisso, unde sonus etiam procul audiatur, eos extrahere proditum a nonnullis. Visi, qui ex farina sagotritici cum aridis ficibus pascebantur. *Volatus* debilitatem cursus uelocitate natura

Arist. H. A. l. 9. c. 26.

Gesner. in Ornithol.

compenfat. Cum proximam sibi aucupes existimant, longe recessisse inueniunt. *Oculis* est obtusioribus, quamuis grandes habeat, *odoratu* potius cibum quaerere creditur. Homine delectari ab Aristotele relictum.

Habetur inter ciborum delicias, sed postponitur perdici. Aliqui depumatam exenteratumque in furno torrent et cremant remedio calculosis futurum.

RVSTICVLA SYLVATICA rusticula palustri maiore maior est. Gallinamenim fere aequat. Colore saturiore, rostro minus longo, uentre albicante, cruribus cinereis. Tendiculis seu laqueis capitur.

SCOLOPAX seu gallinago minor et scolopax minor molliceps Aristotelis quibusdam, dorsum habet eiusdem fere cum alauda coloris. *Rostrum* canaliculatum, maculosum, in extremo nigrum, quatuor digitos aequat longitudine. Alae extensae maculam albam in extremitatibus ostendunt. Quae ab Aldrouando exhibetur, *rostrum* habebat palmi longitudine canaliculatum, latiusculum, nigrum, tuberculis quibusdam asperum in extremo acutum, cuius superior pars inferiorem aliquantulum longitudine excedebat. *Lingua* longitudine rostro fere par erat caniculata in extremo cuspide acus instar acuminata.

Frequentem in locis mediterraneis Gallia uidet nec Bataui eadem carent. In Germaniam circa aequinoctium uernum uenit, si Longolio credimus. Nec a marginibus stagnorum et lacuum *recedere* idem adfirmat. *Migratoriam* inde conligas. In dissectione uentriculo initio Decembris scarabeos et uermes albicantes, tenues, oblongos, quales farinarios adpellant, inuenit Gesnerus. Neque in caueis neque in auario uiuere dignatur. *Vocem* auditam (haec talis est, ut si quis cultum per ferram ducat) pluuiae prognosticon quidam faciunt.

CAPVT V.

De Gallinula Terrestri et Alia Chloropode.

Huc et gallinulam terrestrem et aliam chloropodem fulicae similem Bellonii refero. Illa circa Verbanum lacum polle, a Germanis aucupibus Hoggeshar, quod turmatim iuxta sepes decurrant, dicitur. Gesnerus rallum terrenum seu trochilum terrestrem dicit. *Corpore* est breui, crasso. *Digitis* propria magnitudine longissimis. *Postremus* ad anteriores circiter dimi-

diam longitudinem obtinet. *Vocem* eius dicunt asperam ger, ger, ger serpentum instar. Capta sciuri uocem, si fides referentibus, imitatur. Angli ceu lautissimam inter segetes capiunt.

De GALLINVLA GHLOROPODE alia ita Bellonius: necessario plane gallinulam aquaticam (la poulette d'eau) a fulica et fulica maiori (de la porle et macrou-

troule) separauimus, quoniam aquae non innatat nec palmipes est. Pullettae autem aquaticae siue gallinulae nomen a similitudine cum iam dicta impositum est, etsi multo minor sit, maior tamen ralla, adeo ut de utraque hac particeps esse uideatur. Aucupes, quibus ostendimus, cum fulicae similem esse cernerent, magnitudine tantum differre aiebant hancque ad perfectam necdum aetatem peruenisse. Vnde nos diligentius peculiare aliquas notas discriminantes inuestigauimus. In quibus ea praecipue fere est, quod haec gallinula pedibus sit uiridibus et non absimilibus botauri neque etiam ita planis nec denique lata membrana coniunctis, ut in fulica. Cauda etiam gallinulae longior est. Macula frontis item minor. Colore rallo similis quidem, sed ad fulicae colorem tendit, quare ex primo aspectu rallum esse putabam, sed, cum diligentius inspicerem, animaduerti, palpebras oculorum candidas esse, quod rallo non conuenit, sed neque fulicae. Caudae binae pennae albae sunt, utrinque nempe una. Sub pectore nonnihil ad cyaneum siue caeruleum uergit. Dorsum colore

est castaneae intenso. Aliae item aliis nigriores sunt et alarum plicas albas habent et aliam insuper albam lineam in minori ala, quam primae plumae eius per calami longitudinem constituunt. Idem ci bus reperitur in eius uentriculo, qui in rallo et fulica. Os sterni et ischion siue os coxendicis ab aliis auibus habet diuersa, etiam a fulica. Caro gallinulae coctu facilis ac tenera est, ossa fractu facilia, ingluuiens ampla, iecur quoque fragile, caeterum intestina et reliquae partes internae, ut in fulica. Asa eiusdem cum fulica saporis est. Nidificat et pullos alit et educat, ut rallus.

Huc pertinet illa, quam CORRI-
RAM uocant, auis rostro pro corporis proportionem crasso, pectore et alis supernis albicantibus, caetera nigra.

Nec PORZANA MINOR, quae Mediolani girardina a gallinularum aquaticarum censu eximenda est. Rostrum habet breue, qua caput tangit, flauum et in extremitate nigrum, pedes atros, uentrem album, pectus, dorsum, alas colore fumido albis maculis consperso, alarum pennas maiores nigras etc.

CAPVT VI.

De Trynga.

De trynga, iuncione et cinclo hoc duntaxat Aristoteles prodidit, quod caudam motitent, lacus et flumina petant. Trynga turdo aequiparetur, cinclus et iuncio minores sint. Hinc factum, ut diuersae aues pro iis ab auctoribus obtrudantur, haud paucae tanquam congeneres referantur ad eandem. Turnerus eam totam pul-
lam, ea parte, quae podicem tegit quaeque candida est, excepta, facit. Breues uolatus facere, in stagnis, quae nobilium aedes obducunt et in piscinis apud Anglos plerumque degere, si quando periclitatur, ad arundineta densiora confugere adlicit. Germani

quidam tryngam nigram totam, fidipedem, candido uertice ad rostrum usque demisso, pedibus altis et nigris, caudam continue motitantem et loca aquosa incolentem ponunt, ad eandem Gesnerus auem, quae Claronae Wasser Trostla, id est, turdus aquaticus nominatur, rostro breui, cruribus altis, fidipedem refert. Aldrouandus aliquot ad tryngam reducit, quas alii ad cinclum retulere.

Prima ei ex illis, quas giarolos et Genera.
giarancellos in Italia uocant, turdo magnitudine par. Rostro duos digitos longo, nigro, in extremo nonnihil recuruo. Lingua acuta paris fere

fere longitudinis. Capite superno, collo, dorso et alis fuscis ad colorem castaneae nonnihil uergentibus, oculorum ambitu, mento, pectore, uentre et uropygio albicantibus. Digitis tribus anterioribus ad medium fere palmum exporrectis, posteriore breuissimo. Inter anteorum extimum et medium membrana est diuicationis initio, quae inter alios desideratur.

Alter pinarolo dicta huic fere per omnia similis, nisi quod rostrum habeat nigrius, aliquando breuius, cuius superna pars infernam longitudine nonnihil excedit.

Tertiam Bellonius ad gallinaginem minorem refert, Gesnerus *Cathartides* esse putat, uterque cinclum Aristotelis esse opinatur. Corpulentia est fere eadem cum scolopace minore simpliciter dicto, plumarum tamen colore differunt et rostro, quod utrinque quidem tenue, longum et acutum est, praecedentis tamen in extremo maculatum est et crassiusculum. Maculis albis in capite et uniuerso collo maculatur. Pectus uero totusque uenter, femora et plumae sub cauda niuem candore aequant. Ripas potissimum et *loca*, quae bono aliquo odore recreant et moschum redolent, frequentat.

Quartam inter cinclos reposuit Turnerus. Alauda est maior, colore in tergo nigro, uentre albo,

tibiis longis. Vere circa fluminum ripas *clamosa* est. Breues et crebros facit uolatus. Anglis hirundo aquatica dicitur.

Quinta ex motacillis credita *Pilwendegen* et *Pilwegichen* Germanis in Misnia uocatur. Palmipes quidem non est, sed rostrum longum, molle, cinereum, crura alta habet. Duo ipsius sunt genera, *maius* et *minus*. Hoc magnitudine merulae, tergo cinereo, uentre albo.

Flumina colit et in ripis uagatur. *Locus*. In arenis nidificat et incubat, interdum inter saxa oua ponit. Supra octo pullos uno tempore non excludit.

Muscis, uermibus et pisciculis *Vitru.* uescitur. Domi pane et malorum uescitur putaminibus. Singulari in *Ingressu*. muscis capiendis arte pollet. Lento enim suspensoque gradu accedens rostro eleuato primum designat, tum captam praedam deglutit. Mansuetacta conclauiab araneis purgat.

Vocem noctu lacrymantis instar *Vox* edit.

Quartae congenerem merulam aquaticam Gesnerus facit, quam Germani *Wachamsel*, Lucarni et circa Verbanum lacum solot uel solum d' aqua nominant nec non cornicem aquaticam, sturno paulo minorem, quam in alcyone describit.

CAPVT VII.

De Iuncone et Cinclo.

Iunco *σχώνικος* et *σχώνικλος*, quod in iuncis libenter degat, quae Graeci *σχώνος* nominant, ita dicitur. Aristoteles trynga minorem, alaudae amicam facit. Addit, fluuios et lacus petere ac caudam motitare. Bellonius pro ea quandam ostendit, quae Gallicis *alouette de mer* seu alauda marina dicitur. Est quidem haec eiusdem cum alauda magnitudinis, *rostro* oblongiusculo, *cruribus* nigris, gracilibus et oblongiusculis, *lingua* nigra uniuersum rostrum longitudine ae-

quante, linea alba sub alis insignitur et, dum uolat, eiusdem fere est cum galerita coloris, sed, quia maritima est, nescio, an pro iuncone sumi uel possit uel debeat. Aldrouandus auiculam, quae pasfere d' aqua uocatur, pro iuncone ponit. Pasferis est magnitudine, rostro nigro candiculato, satis duro et in extremo adunco. Lingua candiculata et, qua definit, bifida et duriuscula. Cauda tres digitos longa denis pennis constante. *Mas* a foemina hoc solum

lum differt, quod in hac colores sint magis obsoleti, in illo magis uegeti.

Congerem facit eam, cui eadem species, rostri pedumque conformatio et colore tantum uariat. Colum primum et pectus albicant, sed uenter totus ex cinereo ad fuscum uergit. Caetera fusca est. Turnerus, dum parum syluestrem pro iuncone obtrudit, uehementer fallitur.

CINCLVS Graecis κίγκλος, Suidae, nisi loca sint corrupta, κινκλός et κινκίλος, βακουλῆ Hesychio et Varino, quod armenta sequatur, tertia est ex illis auibus, quae caudam motitant et circa stagna et flumina uersantur. Caudam motitare praeter Aristotelem Aristophanes in Tympanistis prodidit. Volateranus palmipedem esse scripsit, sed falso. Suidas gracilem et nullo ferme corpore scribit. Gesnerus cum rostro recto nigro et longiusculo, uentre albo, pectore cinereo, cauda breui, ita ut eadem alarum longitudo sit, alis dorsoque fuscis, cruribus ex rufo fere luteis facit. Bellonius secundam gallinaginis minoris speciem cinclum Aristotelis esse putat. Idem gallinaginum minimum genus cinclum minorem adpellat. *Tertia*, inquit, gallinaginis minoris species primo generi magis, quam secundo similis est. Rostrium enim, sicut

scolopax maior, crassiusculum habet et in extremo maculatum. Dorsum sturno simile. Aliquibus deus pour un adpellatur. Duae enim huius generis pretio unius maioris uaeuunt. Aldrouandus de ea, quam exhibet, an apud mare etiam degat, dubitat. Magnitudine, inquit, motacillam aliquanto superat. Color totius fere corporis inter fuscum et cinereum ambigit, sed alarum pennae maiores subnigricant. Venter et femora albicant. Rostrium nigrum tenue et longiusculum. Crura nigra, breuia et exilia.

Congeneres ipsi duas alias facit, quarum quoque icones exhibet. *Prior* sub cincli minoris nomine describitur. *Alter* iisdem quidem est coloribus, sed caudam albam et lineis nigris transuersim secantibus ornatam habet. Rostrium quoque, qua capiti iungitur, crassiusculum et sensim deinde magis magisque attenuatum. Quia posteriore sui parte debilis est, suapte et per se nidum non construit, sed in alienis parit. Apud homines uiuere non dedignatur. Captam maxime mitescere tradit philosophus. Videtur in Coryis Thracum regis conuiuio apud Athenaeum adposita, κίγκλος quidem ibi extat, sed κίγκλος legendum esse censetur.

Aldrou.
Ornith. l.
20. c. 56.

CAPVT VIII.

De Vannello et Cercione Aue Indica.

VANNELLVS seu, quod alis instar uanni aut uentilabri commotis strepitum excitet, seu aliam ob causam ita dictus, fulica quibusdam, stymphalis ueterum aliis, sed falso, quibusdam a uoce, αἰξ, siue capella, Bellonio parrus, parrus uel parcus, de quo apud Plinium, dicitur. Alcyoni congenerem Gelenius facit, pluuiali Gesnerus. Candidos reperiri audiuit idem, nisi lari fuerint. Sine crista iique aliquando colore fusco et maculis uariis obseruati alibi. An tremulus auis in prouincia Salernitana dicta, quae

minor est gallina, coloris fusci, alte clamans et uelocissime uolans quaeque prope mare, teste Villano, uersatur et, cum super terra incedit, cauda tremit, unde ipsi nomen, sit eiusdem generis, disquirendum cum Gelnero relinquo. Exactissime a Bellonio describitur. Bellon. de Magnitudine, inquit, plaridem uix excedit. Densus admodum plumis contegitur, quae in radicibus suis, quae corpus adtigunt, omnino nigricant. Color enim alius est in parte exteriori. Auis in uersa supinaque conlocata et alis eius extensis magna

Bellon. de
Auib. l. 4.
c. 17.
Plin. H. H.
l. 11. c. 37

gna plumarum pars in uentre et in femoribus niuei sunt candoris. *Alae* in superiori quoque parte niueae, in inferiori nigricant etc. *Hepar* habet magnum in duas partes utrinque diuisum. *Fel* in ea reperire Bellonius non potuit. *Intestinum* appendices habet.

Circa lacus et amnes uersatur, a quas tamen non ingreditur, sed in planis et erica consitis ut plurimum degit.

Vitus.

Vermibus, muscis, cicadis, bruchis, scarabeis et aliis *uescitur*. Albos lapillos deglutire certum est. Aestate sola *uolat*, hyeme gregatim et tam frequenti numero, ut prae-
ta, etiam si amplissima, uix totum agmen capiant. Alis est obtusioribus et inter uolandum magnum strepitum edit.

Vox.

Vocem uidentur Germani et Galli per nomen ipsi inditum expressisse. Illi *Kiwiz*, hi dixhuit uocant.

Partus.

Dum *pullos* fouet, ad hominem, a quo nidum inquiri suspicatur, proxime accedit et, uelut deditio-
nem simulat, donec a nido abduxe-

rit, saepe multae unum hominem ita persequuntur, ut eo facilius a nidis abducant.

Habetur in ciborum in Gallia de-
liciosis et eodem, quo lepus, pretio uenditur. Adeo pinguescit, ut faginata uideatur. Genueris boni saporis et probi, sed leuis et tenuis alimenti esse comperit.

De CERCIONE, quam capellae seu uannello praemittere debuit, caudam enim motitat, ita Aelianus: in India auis ad sturni magnitudinem accedens uariis coloribus picta nascitur, quae et humanam uocem effingit et psittacis uocalior et maiore est docilitate, ac ingenio, non tamen humanum uictum aequo animo sustinet, sed libertatis desiderio famem potius, quam seruitutem deliciis ciborum refertam amplectitur. Vrbes, quas Alexander in India excitauit et Macedonibus incolendas dedit, ut Bucephala cum adiacente agro et Cyropolis aliaeque ideo Cercionem adpellant, quod similiter caudam, atque cinclus mouet.

CAPVT IX.

De Pluuiali et Charadrio.

PLVVIALIS rhindace forte Plutarchi, quia nihil in eius intestinis excrementi reperitur, in agro Bononiensi pinier, Gallis pluuiier, Germanis Pulver et Pulros audit. Quomodo antiquis uocetur, ignorare se fatetur Bellonius.

Genera.

Duo eius *genera*, *flauescens* unum, *cinereum* alterum, quod Itali montanum uocant. *Pulli* guillemot priuatim uocantur. *Illud* palumbi est magnitudine. Rostro breui, rotundo, nigro, acuto et in extremo nonnihil adunco, *lingua* triquetra totam inferioris rostri canalem implente, prona parte fere cornea retusa. Pennae superne fusco, albo luteoque colore ita distinguuntur, ut ferratae adpareant, cauda quoque lineis fuscis luteis intersecatur. Postico digito caret. Inter anticos

tres membranula interiicitur, maior inter medium et extremum, minor inter eundem et internum. Bellonius plumas eius lutescere scribit seu maculis luteis respergi.


Frequens est in Gallia, in Heluetia rarissima. Bononiae non raro in foro uenditur.

Rore *uiscitare* prodidere quidam, quod in uentribus earum nihil inueniatur. Nihil falsius. Ex humidis campis uermes eruit. Scarabeos in dissecta inuenit Bellonius. Lumbricos edere adserit idem, quia solum *intestinum* *ieiunum* habet. Ideo in eo nihil inuenitur. *Migratoria* est. Aestate nulla in Gallia cernitur, uere paucae. Non minore numero, quam quinquagenario uolant. *Volaturae* uentum sequuntur, raro aduerso tendunt, ut Bellonius prodidit.

Vox

Tab. 23





Prunella luteola
Prunella luteola
Roth Schwanz



Muscipora



Rubetra belloni



Rubetra seu Bator



Pyrrhulus
Rei Schwanzlein



Rubecula seu
Phoenicurus, rotzägel
rotschwanzlein



Cannucula
Haufrötelan



Antinus




Hypolais seu Caranca



Phoenicurus, alter



Luscinola



Nachtgall

Luscinia
Nachtigal



Oenanthe

Birfner



Atricapilla s. ficedula
Grazmuch, Schwarz
Kopff



alia
Ficedula sine *Atricapilla*





Vox.

Vox ipsius huit, huit sibilo, qui porrectis labiis edi solet, similis. Noctu solae degunt, summo mane diuersis in locis sparsae conspiciuntur quartamque aut dimidiam milliarii partem occupant. Imminente die, ut simul conueniant, sibilum sese mutuo uocantes emittunt. Vni in toto grege tanquam regi obeditur. Huic uox maxime sonora. Ad auditum undique confluitur. Aucupes *appellatorem* uocant. Inter cupedias in Gallia ponuntur. Ita ut in hominem delicati cibi nimium adpetentem, ne pluuiali quidem opposita contentum fore, alicubi tanquam prouerbio dicatur. Adparanda non exenteratur.

Aldrou.
Ornith. l.
20. c. 65.

Pluuialem cineream Aristotelis pardalum esse credit Aldrouandus tum, quod tota fere sit cinerea, quod de pardalo prodidit Aristoteles tum, quod maculata, unde pardalo nomen. Pluuiali simpliciter dicta est aliquanto maior. Rostro paulo crassiori et longiori, postico digito admodum exiguo. Tota fere cinerei est coloris et multis undique respergitur maculis, quae inter cinereum et castaneae colorem ambigunt. Alae caudam, quae breuis est, excedunt. Magna ex parte gregatim *uolat* nec singularem uideris, quod apud Aristotelem legimus. *Vocem* frequentem nec grauem emittit.

Huc refer illam, quae *pluuialis maior* Aldrouando. Rostro est

procero, supina parte per pectus uentremque candicat. Maiores alarum pennae nigricant, pedes sunt longi et ad caeruleum uergunt. Digito posteriore fere caret.

CHARADRIVS Gazae hiaticula, quod circa fluminum alueum et riuorum hiatus uersetur, qualis Aristoteli auis sit, ignoratur. Nam colore et uoce prauum esse, noctu adparere, interdiu aufugere, quod de suo philosophus reliquit, multis auibus competit. Et, cum Aristoteles iterum chloreum seu galgulum uocet, haud uerisimile uidetur, eam auem charadrium esse, quam in Perside et raro quidem reperiri, atriis regum requiri, quod multi ei propter auxilium, quod itericis praestare creditur, Albertus ex Heliodoro, Aeliano et aliis adserit. Aldrouandus pro charadrio auiculam exhibet corpore toto ex cinereo fuscum, rostro breui, si cum aquaticis, longo, si cum aliis conseras. Capite toto nigra uitta cinctam, cruribus oblongis et gracilibus, colore ad rutilum accedente, fronte et collo candicantibus, pedore nigrescente. Quia interdiu latet, noctu progreditur, dedit prouerbio locum: *χαραδριον μυσμυενος*, qui rem utilem occultat, dicitur. Itericos solo aspectu sanare multi produnt. Philes rubetam spectantem itericia adfici, rursus charadrius, liberari nugatur.

Arist. H.
A. l. 9.
c. 11.Heliodor.
l. 3. Hi-
stor. Ac-
thiop.

TITVLVS III.

De Auibus Fissipedibus Herbiuoris

CAPVT VNICVM.

De Gruce.

Martian.
li.

Auis, quam gruem Latini a grundo, poetae Palamedis auem, quod is Troiano bello quatuor literas ϕ χ et θ , ordinem aciei et tesseras a gruibis didicisse dicatur, uocant, Graecis communiter *γέγωνος*, quod colore cinereo et quasi cano tanquam *γέγωνος* adpareat, Tyrrenis

tiris et *συρρηνης*, Polyrrhaenis *σέρης* adpellatur. Genera ipsarum apud Tartaros plura Venetus obseruauit. Sunt quaedam alis *nigris*, aliae *candidae* pennas oculis aurei coloris plenas habentes. Nonnullae paruae pennis longis rubro nigroque colore perunctis instructae, quaedam denique

Venet. Re-
rum Ori-
ent. l. 1.
c. 64.